



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio quinta. Vtrum abstractis subsistentiis relatiuis intelligatur, relinqui
tantum hæc Deitas, vel etiam hic Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

mbus, seu personalitatibus. Quod enim illa ex vi sua per se sit, præcisissimis relationibus, ex contrario signo colligi potest, quia in natura creata, scilicet quia, etiam si præcindamus relationes, nunquam intelligimus illam naturam, ut capax unionis ad suppositum à se distinctum, seu alienum, sed cum ea unionem formalem repugnantiam habere, non solum ratione relationum, sed ex vi perfectionis sui esse absoluti, quia hoc pertinet ad perfectionem illius esse, ut supra explicatum est: quod signum bene declarat, quid addat hæc per se existentia secundum rationem, supra existentiam ut sic, etiam præcisâ ratione incommunicabilitatis.

Vnde etiam fit, eam naturam non communicari tribus relationibus propter indigentiam (ut ita dicam) vel imperfectionem, scilicet, quia illis egeat, ut per se sit, vel ut ab illis sustentetur, quomodo natura creata intelligitur indigere personalitate, vel alieno supposito, sed illis communicatur ex infinitate sua, ut illis det esse. Vnde consequenter fit, ut in illis, aut per illas terminari dicatur, non quia ab illis sustentetur, neque quia ab illis, ut sic, primo, & per se accipitur, non modum per se essendi, sed quia ipsum esse essentialiter ita includitur in singulis relationibus, ut eum vnaquaque constituat rem quâdam simplicissimam, & incommunicabilem, ac per se subsistentem, ut nec per identitatem possit iam amplius secundum eam rationem communicari.

Ad argumentum ergo in forma respondetur, distinguendo minorem, scilicet repugnare subsistentiæ terminari, si enim intelligatur de termino, qui sit prima ratio per se essendi, vel qui se habeat proprie per modum sustentantis naturam, sic concedo hoc repugnare subsistentiæ: nego tamen de ratione personalitatis esse terminare hoc modum, qui est proprius naturæ creatæ, natura enim increata altiori modo terminatur sua personalitate, ut explicatum est. Si autem sensus argumenti sit, etiam hoc modo repugnare subsistentiæ terminari, respondeo in rebus creatis ita esse, quia repugnat subsistentiam, vel naturam creatam intime includi in rebus, vel suppositis distinctis, quod non repugnat subsistentiæ absolutæ, & increatæ. Quamvis autem subsistentia sit ratio per se essendi ipsi constituto per ipsam ut sic, non tamen oportet, ut sit prima ratio per se essendi ipsi naturæ, quam terminat, præsertim secundum rationem: quia non terminat illam imperfecto modo, & quasi affixa illi, sed intime recipiendo esse ab illa: unde hæc terminatio potius intelligenda est per modum cuiusdam modificationis, seu determinationis, quam per modum sustentationis naturæ terminatæ. Et propterea etiam hic modus communicationis non est per modum unionis ad aliud, nec per modum essendi in alio, qui repugnet modo essendi per se, sed est per modum intime inclusionis, & quasi penetrationis, ut ita dicam, cum summa identitate, ratione cuius quavis subsistentia absoluta communicetur multis, non tamē est in alio, quia illa multa non sunt aliud ab ipsa.

Ad confirmationem eadem solutio applicanda est, quia est eadem difficultas, relationes enim diuine intelliguntur addi essentialiter ut per se existentibus, & in hoc sensu ut subsistentibus, & nihilominus intelliguntur addi tanquam rationes subsistendi, non ipsius naturæ primo & per se, sed constituti.

*Ultima confirmatio
jatis sit.*

Ad ultimam confirmationem respondetur, subsistentiam absolutam intime ac essentialiter includi in rebus secundum rem, & secundum omnem rationem formalem, quæ ut ratio realis in ipsa relatione concipitur: nam licet mens nostra possit præcisè concipere rationem relationis paternitatis vel filiationis, non concipiendo expresse ac formaliter esse aliquod absolutum in eis inclusum, non potest tamē ita præcindere quin in illa re concepta, seu in obiectivo conceptu, qui responderet illi formali, implicite & secundum rem contineatur essentialiter totum esse

A absolutum Dei: nec etiam potest mens nostra aliqua abstractione negatiua vera separare absolutum à relatione, de hoc illud negando, vel saltē negando includi in eo essentialiter in re ipsa, aut concipiendo esse relationium in aliquo, in quo concipiat non esse, esse absolutum, quod secus accidit in esse relationis respectu absoluti, nam potest ab eo præcindi, & aliquo modo etiam negatiue abstrahi, saltē ea ratione, quæ esse absolutum potest in aliquo esse, in quo non sit tale vel tale esse relationium, ut latius in materia de Trinitate tractatur. Quamvis autē subsistentia absoluta in rebus includatur, non repugnat multiplicari secundum rationes proprias sicut non repugnat res vel entitates relationibus multiplicari etiam si essentialiter sint una res, vel entitas absoluta: nam, ut dicebam, quoad hoc eadem est ratio subsistentiæ, quæ altiori transcendenti, quia perfectas existentia, quæ cōplet rationem subsistentiæ, ut nunc de illa loquimur, intime includitur in tali esse, seu tali existentia. Vnde, sicut esse vel existere ad rationes transcendentes spectat, ita etiam, & per se esse. Denique, licet subsistentia absoluta in relationibus personalibus includatur, non sequitur, quod eas reddat formaliter subsistentes secundum propria: sed tantum secundum quod esse diuinum absolutum includunt. Nam, licet diuina essentia in relationibus includatur, nihilominus relatio diuina aliquod propriū habet, quo veluti determinatur aut modificatur diuinam naturam, non per modum compositionis, sed per intimam inclusionem cum summa identitate, ac simplicitate. Illud ergo proprium quod relatio addit, ex se & ex propriis, est subsistens, & non proprie ac formaliter ex inclusione essentia, sicut supra dicebamus de existentia: est enim eadem fere ratio. Vnde eodem modo dicendum est, subsistentiam absolutam non includi in relatione, ut id quo relatio subsistit quatenus relatio est, sed ut id quo est subsistens ipsamet natura & essentia Dei, quæ in relatione includitur, eo quod ipsamet relatio essentialiter Deus est.

SECTIO V.

Utrum abstractis subsistentiæ relationis intelligatur relinqui tantum hæc deitas, vel etiam hic Deus.

HOC dubium præcedentibus annexum est. fereque in illis explicatum, tamen propter nonnullas difficultates, & opiniones explicandas, ad ea, quæ de incarnationis mysterio dicenda sunt, necessarium duxi, seorsum proponere.

Quod ergo tres personæ sint hic Deus, seu indiuiduum deitatis, nullus Catholicorum negat, cum de fide certum sit tres personas esse unum Deum, non in specie seu similitudine naturæ, sed in indiuiduo, & identitate naturæ hunc singularem Deum, iuxta illud, *Non tres dii, sed vnus est Deus*. Duobus autem modis intelligi potest tres personas esse hunc Deum, seu hunc Deum esse in tribus personis, & in singulis earum. Primo, quia hic Deus formaliter significat hæc indiuiduam deitatem ut subsistentem in vno, vel in pluribus suppositis: & hoc modo hic Deus ut sic, non dicit hanc subsistentiam, sed solum hanc naturam, subsistentiam vero veluti connotat; unde ad suam unitatem non requirit unitatem, seu singularitatem eiusdem subsistentiæ, & hoc modo hic Deus est quid commune tribus personis, realiter quidem ratione naturæ formaliter significatæ, secundum rationem autem in personalitate, seu subsistentia connotata, quatenus omnes personæ diuine conueniunt in ratione subsistendi in hac natura. Secundo modo possumus intelligere hunc Deum esse quid commune tribus personis, non solum ratione naturæ, & personalitatis confusæ conceptæ, sed etiam ratione subsistentiæ communis.

Dico ergo primo, hic Deus ex vi sui conceptus, seu ad

sen ad suam unitatem non requirebat substantiam communem, & absolutam. Hoc suppono ex. i. p. q. 36. & 39. ubi ostenditur, ad unitatem substantiæ sufficere unitatem formæ, de quo etiam infra disputat. 13. dicemus, ostendendo tres personas fore hunc hominem, si eandem humanitatem assumerent, etiam si immediate illam per relatiuas substantias terminarent, & non per absolutam; & idem constat in Patre, & Filio, quatenus sunt vnum principium Spiritus Sancti, & hic spirator, non propter specialem substantiam, sed propter eandem virtutem spirandi, & eandem relationem.

Et hinc intelligitur, propter quid supra dixerim, rationes Caietani sumptas ex unitate Dei, seu ex hoc quod tres personæ sunt hic Deus, esse inefficaces ad concludendam substantiam absolutam, quia in simili forma inueniuntur discernere, in similibus exemplis adductis de hoc spiratore, vel hoc homine; & eodem defectu peccant omnes rationes, quæ sumuntur vel ex communibus, seu essentialibus operationibus, ut creare, iustificare, &c. quæ primario dicuntur conuenire huic Deo, vel ex ratione abstractæ, & concretæ, quia scilicet cuiusque indiuiduæ naturæ in abstracto significatæ debet correspondere suum indiuiduum concretum; hæc enim & similia solum probant, vel operationes primario conuenire personis ratione naturæ communis, vel vnam formam constituere vnum indiuiduum, etiam si in pluribus suppositis subsistat.

Dico secundo. Nihilominus verum est, abstractis & præcis per intellectum substantiæ relatiuis, adhuc intelligi manere hunc Deum realiter existentem, & substantialem. Intelligo autem abstractis substantiæ relatiuis, non tantum secundum distinctos conceptus earum, sed etiam secundum communem, & confusam rationem personalitatis: & hoc sensu sequitur conclusio ex dictis in præcedentibus, quia, abstractis relationibus abstractione etiam, ut vocant, formali, seu præcisiua, adhuc intelligitur manere deitas, non tantum existens, sed etiam subsistens, ergo non tantum intelligitur manere hæc deitas, sed etiam hic Deus: quia Deus ut hic nihil aliud significat, quam subsistens in hac deitate, & hoc idem significat habens deitatem, quamuis alio modo, scilicet adiectiue, Deus autem substantiue. Et hinc intelligitur sibi contradicere, qui vel admitendo substantiam absolutam negant hunc Deum posse hoc modo abstrahi à personis, vel è contrario negando substantiam communem, hunc modum abstractionis admittunt: quia sola existentia naturæ ut sic, si non includat per se existentiam, atque adeo substantiam, sufficit quidem ad constituendam naturam abstractam in ratione entitatis actualis, non vero ad constituendum concretum naturæ, ut patet in humanitate Christi, mente abstracta à Verbo.

Erratio constat ex dictis, & ex ipsa vocum significatione, nam concretum significat id, quod est, seu quod habet naturam, in quo conceptu intrinsece includitur, ut per se sit: & ideo si non datur substantia, seu per se existentia absoluta, nullo modo potest concipi hic Deus, nisi relationes saltem confuse concipiantur: at vero è contrario si abstractis personalitatibus adhuc intelligitur manere diuinitas per se existens, & subsistens, negari non potest, quin maneat verus conceptus huius Dei, quia non est de ratione illius substantia incommunicabilis, cum neque hæc indiuidua substantia relatiua sit de conceptu illius, ut dictum est, sed solum in hac diuinitate subsistere. Et hanc sententiam sic expolitam tenent Scotus Caietanus & alij supra citati.

Contra eam vero solent multi obijci, quæ in re difficilia non sunt, sed oportet solum calum loquendi modum seruare. Primum sit, quia sequitur dari in Deo vnam personam, seu vnum suppositum

A absolutum, quia suppositum nihil aliud est, quam substantia indiuidua completa, & subsistens, & si addatur in natura rationali, persona sit. Secundum, D. Thom. quia D. Tho. infra 2. 3. ad 1. dicit, quidquid est in Deo subsistens, esse personam, sed hic Deus ut abstrahens à relationibus est subsistens, ergo persona. Tertium, quia si in Deo tantum esset vna persona absoluta, abstracta personalitate à natura, intelligeretur diuinitas ut sic, & non ut hic Deus, ergo, idem nunc est dicendum; quinimo etiam nunc possumus abstracte concipere diuinitatem, præscindendo substantiam absolutam, ergo ut sic concepta non erit hic Deus: sed eodem modo illam concipimus, quando abstrahimus relationes, quia non intelligimus magis perfectam, vel infinitam diuinitatem vno modo, quam alio. Quartum, quia si maneret hic Deus abstractis proprietatibus personalibus, ergo posset intelligi operans per se prius, quam intelligeremus esse in personis, & consequenter etiam generans, vel hic Deus prius ratione creans, quam Pater generans. Quinto denique, quia in rebus creatis non reperitur subsistens in natura aliqua, nisi suppositum vel persona.

Ad primum, olim non defuerunt, qui sequelam admitterent, quorum errorem recte Henricus, & Durand. supra citati impugnarunt. Caietanus vero quadam adhibita moderatione concedit hunc Deum ut sic esse suppositum, vel personam incompletam: sed cauendus est hic loquendi modus, utpote alienus à modo loquendi Conciliorum, Patrum, & Theologorum, qui nullo modo admittunt tres personas esse vnam personam, vel suppositum, quamuis admittant esse vnam substantiam: negatur ergo sequela, quia ut supra ex Basil. Gregor. Nyssen. & Damasc. diximus, suppositum dicit non quodcunque subsistens, sed incommunicabile, quodque ita est sub alio positum, ut sub illo nihil ponatur, & hoc ipsum in natura rationali dicitur persona, & ita est intelligenda illa particula definitionis Boetij, qua persona dicitur, *Indiuidua substantia*, quia ergo hic Deus abstracte conceptus ita subsistit, ut communicetur multis, qui illi suo modo subsunt, ideo non est suppositum, neque complete, ut per se constat, neque incomplete, cum desit illi vltimum, & quasi formale constitutum suppositi, sicut leo quamuis sit animal, non dicitur incomplete homo.

Ad secundum responderetur, ex illo loco D. Thomæ posse hoc modo nostram sententiam confirmari, nam, ut ibi videbimus, ipse procedit ex hypothesi impossibili, videlicet, si intelligeremus naturam diuinam permanere in re existentem sine relationibus diuinis, quid esset, vel quid posset; & inter alia respondet; primum naturam fore substantialem, & rationem reddit, quia diuinitas ex proprio conceptu, quibuscunque alijs præcis, est subsistens, & in hoc confirmat nostram sententiam. Quod vero subdit, consequens esse ut sit persona, intelligitur posita hypothesi, & abstractione relationum, non tantum in mente, sed etiam in re: scilicet in substantia esset incommunicabilis, & per consequens persona.

Ad tertium responderetur diuinitatem dupliciter posse abstrahi nostro modo intelligendi à personalitate, seu substantia, vno modo omnino ex parte conceptionis nostræ, qua concretum concipimus per modum abstracti, quamuis reuera nihil intelligamus includi ex parte rei conceptæ in ipso concreto, quod non includatur in abstracto, quo modo concipimus paternitatem, ut formam Patris, & deitatem ut formam Dei, in qua sic concepta essentialiter includitur substantia, sicut sapientia, vel alia attributa, quæ in illo modo concipiendi, vel significandi non exprimitur: & tantum hoc modo posset abstrahi deitas à sua personalitate, si intelligeremus habere vnam tantum personalitatem absolutam, quia tunc illa esset de conceptu essentiali ei. Alio vero modo intelligimus abstrahi nunc essentiam diuinam à proprietatibus

tibus relatiuis, non solum in modo concipiendi, sed aliquo modo ex parte rei, abstractione quodammodo negatiua, non quia in re sit distinctio inter essentiam, & personalitates, nec quia possit separari ab illis, sed quia non includit illas in conceptu essentiali, unde potest concipi tota perfectio essentialis Dei, excludendo relationes: & hoc modo potest concipi non tantum in abstracto hæc deitas, sed etiam in concreto hic Deus, abstractis relationibus.

Ad quartum respondetur breuiter, in hoc Deo, vt intelligitur prior ratione, quam persona, posse etiam præintelligi actus intelligendi, & amandi, vt essentialis sunt, vt rectè probat argumentum: actus vero notionales, vt generandi, non possunt in illo præintelligi, quia connotant relationem, requirunt enim principium distinctionis inter generas, & genitum, quod intra Deum non est nisi relatio. Actus vero liberi, vt sunt creare, prædestinare, &c. etiam non possunt præintelligi personis secundum veram prioritatem, etiam rationis, quia constitutio personarum non habet dependentiam vllam, nec supponit vllō modo hos actus: alioqui vero, quia ipse personæ, & relationes quibus constituuntur, & actus notionales, per quos vna ab alia manat, sunt connaturales Deo, ideo secundum rationem supponuntur actibus liberis, iuxta supra dicta. q. 1. art. 3.

Ad quintum negatur consequentia, in rebus enim creatis omnis substantia est intrinsece limitata, & propterea est omnino incommunicabilis, & ideo in rebus creatis substantia, & personalitas, & vltimus terminus naturæ semper in idem incidunt; at verò in diuina substantia secus est propter infinitam eius perfectionem, vt dictum est.

ARTICVLVS I.

Virum persone diuina conueniat assumere naturam creatam.

3. d. 5. q. 2. a. 1.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam. Persona enim diuina significat aliquid maxime perfectum: Perfectum autem est, cui non potest fieri additio. Cum igitur assumere sit quasi ad se sumere, ita quod assumptum addatur assumpti: videtur quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam.

2.

Præterea, illud ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur: sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur. Sed de ratione persona est, quod sit incommunicabilis: vt in prima parte dictum est. Ergo persona diuina non conuenit assumere, quod est ad se sumere.

3. p. q. 29. a. 1.

Præterea, persona constituitur per naturam: Sed inconueniens est, quod constitutum assumat constituens: quia effectus non agit in suam causam. Ergo persona non conuenit assumere naturam.

In lib. de fi.

ad Pet. c. 2.

a. me. 3.

Sed contra est, quod Augustinus dicit de fide ad Petrum. Formam, id est, naturam serui, in suam accepit Deus, ille scilicet Vnigenitus, personam: Sed Deus vnigenitus est persona. Ergo persona competit accipere naturam, quod est assumere.

Respondeo dicendum, quod in verbo assumptionis duo importantur, videlicet principium actus & terminus: dicitur enim assumere quasi ad se sumere. Huius autem sumptionis, persona est, & principium, & terminus. Principium quidem, quia persone proprie competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia sicut supra dictum est, vnio facta est in persona, non in natura. Et sic patet, quod propriissime competit persona assumere naturam.

q. prae. art.

1. c. 2.

1. c. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod cum persona diuina sit infinita, non potest ei fieri additio. Vnde Cyrillus dicit in epist. synodali Ephes. concil. Non secundum appositionem coniunctionis intelligimus modum. Sicut etiam in vnione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo, sed illud, quod diuinum est, apponitur homini. Vnde non illud Deus, sed homo perficitur.

In epist. 1. synodali Eph. ad h. c. ca. mod.

Ad secundum dicendum, quod persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis predicari: nihil tamen prohibet plura de persona predicari. Vnde non est contrarietas personæ sic communicari, vt subsistat in pluribus naturis: quia etiam in personam creatam possunt plures nature concurrere accidentaliter: sicut in persona vnus hominis inuenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem est proprium diuine persone, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum: non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, natura humana non constituit personam diuinam simpliciter, sed constituit eam secundum quod denominatur a tali natura. Non enim ex natura humana habet Filius Dei, quod sit simpliciter, cum fuerit ab æterno: sed solum quod sit homo: Sed secundum naturam diuinam constituitur persona diuina simpliciter. Vnde persona diuina non dicitur assumere diuinam naturam, sed humanam.

COMMENTARIVS.



Ensus quæstionis est, non tantum, an possit assumere, sed vt rum assumpserit, & non quæritur de sola persona Filij, sed indefinite de persona, quia reliqua in sequentibus articulis tractanda sunt.

Assertio D. Thom. est: personæ diuinæ propriissime hoc conuenire. In qua ponderat Caietan. additam esse illam particulam, propriissime, quia alio modo minus proprio, etiam natura potest assumere, vt articulo sequenti D. Thom. ipse exposuit. Ratio autem D. Thom. est facilis, quia persona est principium, & proprius terminus incarnationis, sed Verbum, assumere, hanc duplicem habitudinem proprie significat, ergo.

Respon.

Primum argumentum D. Thomæ est: diuinæ personæ nihil potest addi, quia est infinita, ac summe perfecta, sed quod assumitur, additur assumpti, ergo non potest hoc conuenire diuinæ personæ. Quod argumentum D. Tho. in responsione non soluit, sed potius confirmat probando illud principium, diuinæ personæ non posse additionem fieri: tum autoritate Cyril. tum exemplo filiationis adoptiue, quam Deus homini comunicat, illum sibi per gratiam vniendo, per quam tamen vnione nihil addatur Deo, sed ipsi homini: quo exemplo videtur indicare D. Tho. idem esse dicendum in præsentī mysterio.

1. argum.

Testimonium Cyril. sumptum videtur ex epistola Concilij Alexandrini, cui ipse Cyrillus præfuit ad Nestorium, quæ habetur 3. tom. Concil. in Concil. Ephes. & in alio Concil. Ephes. tom. 1. c. 14. vbi sic dicitur: Nec rursus appositione, vel quadam quoque coniugatione, aut conglutinatione eam vnitatem metimur: quibus verbis solum videtur doceri hanc vnionem non fuisse accidentalem, an vero dici possit per hanc vnionem aliquid additum esse Verbo, non vt accidentali modo, sed substantiali illi coniunctum sit, hoc non videtur illo loco negari. Deinde exemplū de filiatione adoptiua non videtur simile, quia cum Deus vnit sibi hominem per gratiam, non fit Deus homo, sed homo efficitur Deus participatione; & ideo nil mirum est, quod in ea vnione hominis ad Deum nihil Deo addatur, sed homini: at vero in hoc mysterio Deus vere fit homo, & natura huma-

Cyrillus

da 96.